

## Criteri di trascrizione

Si è optato per una trascrizione di tipo interpretativo, con un indirizzo tendenzialmente modernizzante:

- abbreviazioni: sono state sciolte tacitamente;
- alternanza «u/v», «i/j»: è stata risolta adottando nei singoli casi la forma corrente; si è solo mantenuto il segno «j» con valore semiconsonantico all'inizio di parola;
- maiuscole: sono state uniformate secondo i criteri moderni;
- punteggiatura e segni paragrafematici: sono stati introdotti secondo le norme attuali.

Le rubriche presenti nel margine sinistro del foglio sono state trascritte all'inizio di ciascuna imbreviaatura. Il segno di paragrafo è stato reso con ¶. La fine del rigo e il passaggio alla carta successiva sono indicati rispettivamente con i segni | e ||.

## ASDBg, Fondo del Capitolo della Cattedrale, sezione documentaria, n. 4, cc. 35v-36r

\*\*\*\*\*. Oblationes ¶ Die quinto mensis iulli, in suprascripto loco, in presentia mei notarii et fratriis Bertramini de Scanzo prioris Sancte Anne | de Tridento, presbiteri Johannis de Scanzo mansionarii ecclesie Pergamensis et Petrecini de Cenate clerici Pergamensis diocesis, | testium rogatorum. Prefatus dominus Episcopus, tam ex ordinaria quam ex arbitraria potestate, ut pareatur laboribus et expensis | partium predictarum et ut omnis materia questionis inter eos radiatur, estirpetur ac pro bono et utilitate ac tranquillitate | predicte ecclesie et confratrum eiusdem, presentibus volentibus et consentientibus<sup>a</sup> predictis, presbitero, clericis et Capitulo ecclesie | suprascripte, dixit sentenciavit ac pronunciavit ordinavit et statuit omnia et singula infrascripta per predicas partes et | quamlibet earum et quamlibet ex ipsis partibus et per successores eorum perpetuo inviolabiliter observari. Videlicet quod oblationes | que fient ad missas seu in missarum sollemnitatibus diebus dominicis et festivis seu ad missas septiminarum que pro mortuis | celebrantur et oblationes que fient pro sepulturis eorum, hoc ordine dividantur diebus singulis quibus fient oblationes predicte | inter presbiterum et clericos qui nunc sunt vel pro temporibus fuerint. Videlicet quod, si presbiter et ambo clerici dicte ecclesie presentes | fuerint, dividantur in tres partes, quarum una sit presbiteri, alie due sint ipsorum clericorum amborum equaliter. Si vero aliquis | ipsorum clericorum absens existeret, quod presbiter habeat dimediam, et aliam dimediam presens clericus consequatur. Si vero solus presbiter | esset presens et clerici forent absentes, presbiter tunc solidum consequatur. Et quod oblationes que offerentur vel dabuntur vel fient | pro aliis missis pro vivis vel pro mortuis celebrandis vel alio quovis modo sive fiant ad altare sive in manum | sacerdotis vel alterius eius

---

<sup>a</sup> In A segue *presbitero* cassato; probabile errore di anticipo.

nomine vel dicte ecclesie recipientis alicubi in ecclesia seu extra, dividantur hoc modo. Videlicet | quod, si presbiter et ambo clerici forent presentes, presbiter habeat medietatem, et ipsi clerici habeant aliam medietatem. Si | vero alter ex clericis esset absens et alter presens, quod tunc presbiter habere debeat duas partes, et presens clericus habeat | tertiam portionem. Si vero ambo clerici essent absentes, quod tunc ad ipsum presbiterum integraliter debeat pervenire. | Et quod sacerdos teneatur in verbo veritatis manifestare ipsis clericis fideliter que et quante fuerint oblationes predicte. | Et quod oblationes que dabuntur vel fient pro baptizare vel pro levare feminas de partu vel pro benedictione sponsarum | vel pro puerorum tonsura taliter dividantur, videlicet quod presbiter habeat duas partes, et clericus seu clerici qui presens vel | presentes fuerint tertiam partem obtineant ex eisdem. Et quod oblationes que dantur pro penitentiis vel pro Corpore Christi | ad solum pertineant sacerdotem. Et quod oblationes que offerentur, dabuntur vel fient ad ecclesias Sanctorum Mauricii et | Patricii de Colzate, quarum una distat ab altera et que cum ecclesia Domine Sancte Marie de Vertoa unum corpus existunt, | inter presentes communiter dividantur, et intelligantur esse presentes quantum in hunc casum etiam si essent in civitate vel | diocese Pergamensi forte pro aliquo vel aliquibus certis negotiis explicandis et non aliter dereliquerint ecclesias suprascriptas. | Item dixit pronunciavit ordinavit et statuit quod clerici suprascripte ecclesie qui modo sunt vel pro temporibus fuerint dare debeant, | singulis annis, tam presenti presbitero quam futuris, solidos triginta imperialium, videlicet solidos quindecim imperialium pro quolibet eorumdem, pro | recipiendis hospitibus et pro ture seu incenso et hostiis et pane benedicto et vino pro celebrandis missis emendis | et pro aliis expensis ydoneis ecclesiis suprascriptis. Item dixit pronunciavit ordinavit et statuit quod, si aliquis clericorum dicte ecclesie | recederit ab ipsa ecclesia et efficeretur beneficialibus vel clericus alicuius alterius ecclesie in civitate vel diocese Pergamensi vel extra, | quod clericus sic recedens teneatur et obligatus sit donec vixerit dare et solvere medietatem fructuum et reddituum | prebende sue residentibus ad dictam ecclesiam de Vertoa quolibet anno. Et, si hoc facere recusaret, quod ipsi residentes | ad ipsam ecclesiam tantum possint percipere consequi et habere de fructibus et redditibus pertinentibus ad prebendam illius | recendentis, quantum capere medietas<sup>b</sup> fructuum et reddituum prebende illius recendentis annis singulis. Item dixit | pronunciavit ordinavit et statuit quod quilibet clericus suprascripte ecclesie qui esset et stabit ad suprascriptam ecclesiam debeat et teneatur | et obligatus sit dare et solvere sacerdoti suprascripte ecclesie qui nunc est et pro temporibus erit solidos undecim imperialium pro quolibet | eorum pro expensis unius coqui seu servientis, dummodo dictus sacerdos habeat et teneat ipsum coquum seu servientem. | Item dixit pronunciavit ordinavit et statuit quod omnis legatio que fiet suprascriptis ecclesiis per aliquam personam dividatur hoc | modo, videlicet presbiter habeat

---

<sup>b</sup> Così A.

terciam partem et clerici habeant alias duas partes, sicut<sup>b</sup> quilibet eorum terciam partem si | steterint ad dictam ecclesiam, et, si aliquis ex ipsis clericis non staret ad dictam ecclesiam, quod \*\*\*\*\* divi|datur communiter inter residentes ad ipsam ecclesiam. Item dixit pronunciavit ordinavit et statuit quod \*\*\*\*\* | stabunt pro temporibus ad dictam ecclesiam debeant et teneantur et obligati sint \*\*\*\*\* || portare libros et paramenta in ecclesiam et, in absentia clericorum, sacerdos hoc facere teneatur. Que omnia et singula | predicti presbiter, clerici et Capitulum acceptarunt ratificaverunt et approbaverunt, et etiam quantum in eis est ordinaverunt et statuerunt in omnibus et per omnia ut superius continetur. |

Resignatio ¶ Die suprascripto et loco, in presentia mei notarii et domini Conradi de Muzzo, Petrecini de Cenate clerici et Bonadei de | Culcinate, amborum familiarium venerabilis patris domini Johannis Dei gratia Episcopi Pergamensis, testium rogatorum. Dominus | Simon de Muzzo, primicerius ecclesie Sanctorum Cosme et Damiani de Scano Pergamensis diocesis, ecclesiam ipsam | et primiceriatum et beneficium, que obtinet in eadem, libere resignavit in manibus prefati domini Episcopi, resignationem | huiusmodi acceptantis. |

Collatio ¶ Die sexto mensis iullii, in dicto loco, in presentia mei Bartholomei notarii et dominorum Alexandri de Clementibus prepositi | Pergamensis, pre Guillelmi de Curno presbiteri Sancte Marie Maioris Pergamensis, ac domini Guidotti de Bongis civis Pergami, testium | rogatorum. Venerabilis pater dominus Johannes, Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Pergamensis, contulit et confert<sup>c</sup> per | presens instrumentum discreto viro Lantelmo Viviani Durentum subdiaco Pergamensi ecclesiam Sanctorum Cosme et | Damiani de Scano diocesis Pergamensis et primiceriatum eiusdem, liberos et vacantes per liberam resignationem domini | Simonis de Muzzo, quondam ipsius ecclesie primicerii, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis; eique providet et providit | de illis investiens eum per suum anulum de eisdem. Comisit insuper et comittit domino Simoni de Muzzo | canonico Pergamensi quod eundem Lantelnum in ipsius ecclesie et primiceriatus eiusdem possessionem corporalem inducat. Qui | Lantelmus ibi iuravit et iurat ad sacra Dei Evangelia, corporaliter tactis Scripturis, facere se successive, | statutis temporibus, infra tempus a iure statutum, ad diaconatus et sacerdotii ordines promoveri, et personaliter | residere ad ecclesiam suprascriptam. Item iuravit et iurat fidelitatem eidem domino Episcopo et Capitulo ecclesie Pergamensis | et revelare eis infra octo dies a tempore scientie si quid de bonis et iuribus Episcopatus et ecclesie Pergamensis indebite | noverit occupari, et non absolvere occupatores eosdem nisi satis fecerint, si poterint, vel composuerint cum eosdem<sup>b</sup> domino Episcopo et Capitulo ecclesie Pergamensis. |

Investitura ¶ Die octavo mensis iullii, in dicto loco, in presentia mei Bartholomei notarii et fratris Bertramini de Scanzo | prioris monasterii Sancte Anne de Tridento, Johannis de Canali et Guidotti

---

<sup>c</sup> Segue de cassato.

de Curteregia civium Pergami, | testium rogatorum. Venerabilis pater dominus Episcopus suprascriptus executor a Sede Apostolica deputatus, super provisione | facienda domino Rogerio de Capitaneis de Scalve canonico Sancti Laurentii de Gisalba diocesis Pergamensis | de prebenda in ipsa ecclesia de Gisalba, auctoritate qua fongitur in hac parte, contulit et confert eidem | domino Rogerio<sup>c</sup> prebendam non sacerdotalem que in ecclesia predicta vacavit per mortem Iacobi quondam | filii domini Renidi de Bedeschis quondam canonici ipsius ecclesie, eique providit de illa investiens | presbiterum Johannem de Scanzo mansionarium ecclesie Pergamensis nomine ipsius domini Rogerii per anulum suum | de ipsa et iuribus omnibus spectantibus ad eamdem. Comittit insuper dominis . . preposito dicte | ecclesie de Gisalba et Henrigino de Bongis canonico Pergamensis diocesis et cuique ipsorum in solidum quod | ipsi, seu alter eorum, eundem dominum Rogerium vel alium eius nomine corporalem possessionem predictorum | inducant. |

Absolutio ¶ Eodem die et loco, in presentia mei notarii et fratri Bertramenti de Scanzo, presbiteri Delayte canonici Sancti Mathei | Pergamensis et Bonadei de Culcinate familiarium infrascripti domini Episcopi, testium rogatorum. Prefatus | venerabilis pater dominus Episcopus pre Martinum de Scanzo, presbiterum ecclesie Sancti Michelis de Puteo Albo Pergamensis | \*\*\*\*\* et hoc fieri humiliter supplicantem, absolvit secundum formam Ecclesie ab omni excommunicatione qua innodatus ||

Trascrizione di Donatella Barzaghi; revisione di Sandro Buzzetti